

[Faint, illegible handwriting on a blank page]



55
121
DE
TYRANNICIDIO

Auspiciis divini Numinis

PRO LOCO

In Amplissimâ Facultate Philosophica

benevolè sibi assignato

publicè disputabit


M. JOHANNES MEISNERUS, Torg.

Respondente

M. JOHANNES CRÜGERO Lübec.

Ad d. 14. Julii horis matutin.

In Auditorio Majore.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO M DC XLII.

VIRIS. PER QUAM. REVER.
AMPLISS. ET. EXCELLENTISS.
DN. DECANO. SENIORI.
RELIQUISQUE. AMPLISSIMÆ. FACULT. PHILOS.
IN. ACAD. WITTEBERG. PROF. PUBL. CELE-
BERR. DOMINIS. ET. PATRO-
NIS. SUMMIS.

M. JOHANNES CRUGERUS
WITTEBERG.
Typis JOHANNIS RÖHNERT, Acad. Typogr.
ANNO M DC XLII





§. 1. Quæ sit nostra de Principibus, tyrannisq; sententia expositum alibi à nobis prolixè est, simul id quoq; demonstratum non licere subditis aut arma capere contra legitimos principes (tales enim etiam post tyrannidem manent) aut eos depellere solio atq; occidere. Quæ omnia etsi tum legi naturæ & rationi consentanea, tum totius veteris & veræ Ecclesiæ concordia testificatione tam indubitato vera sint, ut nec confirmatione ulla res ista indigere, nec aliter facilè statui ab illis posse videatur, qui Christiani sunt, aut tales haberi ab omnibus volunt, altero tamen jam seculo obtinuit, ut multi non tantum diversa, sed & planè illis contraria asserere non dubitarint.

§. 2. Quare breviter nunc quoad fieri potest, considerabimus, quid adversarii, cum primis autem Jesuitarum patres (ita enim appellari præ aliis gaudent, & rectè, nisi fallor; frequenter enim efficiunt, ut hoc nomen verè competat in ipsos) de toto hoc argumento sentiant scribantq;. Nam quia ipsi peculiariter sibi hoc vendicant in *Constitut* quas *Petrus Matthæus* Lugd. edidit Anno 1588. ubi p. 308. ut ad reliquas eorum laudes, quæ ibi commemorantur, veluti cumulus quidam accederet, tandem subjicitur, quod *tyrannos aggrediantur & lolium ab agro Dominico evellant*, vero maximè simile est, hanc ipsis doctrinam præ cæteris probè cognitam perspectamq; esse, nosq; adeo ipsos rectè atque ordine facturos, si eorum sententiam hoc in loco examinemus.

§. 3. Solent Jesuitæ eos omnes dicere & habere pro tyrannis, qui quamvis legitimi reges principesq; sint, ab Episcopo tamen Romano exauctorantur, vel ob hæresin aut aliam causam inepti ad regni gubernacula tractanda judicantur. Etsi enim plerique juxta communem distinguant tyrannos in eos, qui *Titulo*, & qui *Administratione* tales sunt, Molina T. 4. de just. & jure tract. 3. disp. 6. Greg. de Val. T. 3. in summ. Thom. q. 8. p. 3. Eman. Sa in Aphorism. Confess. V. *Tyrannus* n. 2. Tolet. l. 5. Instruct. Sacerd. c. 6. n. 10. Azor. Instit. moral. part. 2. l. 11. c. 4. q. 10. Salmer. in Rom. 13. disp. 5. Lessius de just. & jure l. 2. c. 9. dub. 4. Becan. in respon. ad Aphor. Calvin Gretser. vespertil. hæret. p. 161. Heissius c. 3. ad 1. Aphor. n. 97. Serar. q. 1. in c. 3. Judic. Richeomus in Apol. n. 114. Mariana l. 1. de Rege c. 6.

Andreas
A 2

Andreas Eudæmonjohannes Cydonius in Cōfut. AntiCot. p. 17. Duplex à Theologis tyrannus distinguitur, ait Suarez Defens. l. 6. c. 4. sect. 1. Unus est, qui non justo titulo sed vi & injustè regnum occupavit, qui revera non est Rex, nec Dominus, sed locum illius occupat, & umbram ejus gerit; alter est, qui licet verus Dominus sit, & justo titulo regnum possideat, tyrannicè regnat quoad usum & gubernationem, quia videlicet aut omnia in proprium usum, communi contempto convertit, & subditos injustè affligit, spoliando, occidendo, pervertendo, vel alia similia publicè & frequenter injustè perpetrando. Attamen eò usque progrediuntur, ut etiam ad excommunicatos & hæreticos, quos vocant, tyranni nomen extendant. De Excommunicatis, ostēdit Achilles Harleus in Oratione ad Regem Gallix habita apud Thuan. T. 5. ad Ann. 1604. p. 1007. docere eos, regem excommunicatum tyrannum esse, & subditos contra eum impunè insurgere.

§. 4. Ideò enim Mariana, Rosæus, Boucherius, aliiq; Henricum III. Gallix regem vocant tyrannum, Riba de Neira etiam Machiavellistam, quod invito Pontifice regnaret. Sanderus principem suum alterum Mahometum, & eum, qui ejus impietates continuavit, radicem peccati, tyrannum impiissimum, & sacrilegum. Elisabetham lupam Anglicanam, quam Rbistonus nostram leonam vocat, omnes Athalias, Maachas, Jesebeles, Herodiadas &c. superantem. Reginam item prætensam, crudelem, inmitem, cruoris avidam, Christiani nominis hostem accerrimam & persecutricem. Henricum autem IV. impium Benhadadum Baronius, quem nemo impunè regem nominare ausus fuisset Romæ ante reconciliationem, & quem primi generis tyrannum habebant omnes, apud quos Bulla Pontificis alicujus erat momenti, in qua prætensus Rex dicebatur, etiam Navarra. Ideò ait Bellarm. c. 30. contra Barclaj. nomine Papæ, facio ut qui Rex tuus erat, non amplius sit tuus Rex. Et Suarez Def. l. c. Incipit esse tyrannus in titulo, quia non est legitimus Rex. Item: Post sententiam latam omninò privatur regno, ita ut non possit justo titulo illud possidere, ergò ex tunc poterit tanquam tyrannus tractari & consequenter à QUOCUNQUE PRIVATO poterit interfici. Lessius quoque l. 2. De just. & jure c. 9. dub. 4. Talis non potest à privato interimiri, quamdiu manet princeps. Quod si igitur legitimus rex semel à Papa fuerit indignus judicatus, & nihilominus velit regnare, tyrannus primi generis, seu occupatione erit habendus. Ideò scilicet Clemens occidit Henricum Valesium, non autem occidit Regem: Cur? quia Papæ judicio Rex esse desierat, etsi de facto regnaret.

§. 5. Ex

12
§ 5. Ex hac schola prodierunt parricidæ *Barrerius*, à Jesuitica societate auctoratus, & à *Varada* instructus, *Jacobus Clemens*, non obstante, quod Bulla Sixti V. quâ Henricum II. anathemate percusserrat, à curiâ Parliamenti Turoni congregatâ, damnata esset, & publicè per carnificem concremata. Nec non *Job. Castellus*, qui cum regis gûlam cultro peteret, dentem in maxillâ inferiore excussit, atq; intereâ licere regem occidere contendebat, quippe tyrannum, nec à Pontifici e prorege approbatum, ut cõmémorat *Touan.* T. 5. ad ann. 1564. p. 93. *Serres* T. 6. Inventaire general l'histoire de France p. 180. Item *Gueretus* ejus præceptor. Cùm primis autem *Ravallacus*, qui cum esset rogatus, quid eum impulerit, ut tam execrandum facinus suscipere pariter, & cõmittere non dubitaret, respondit, sibi regem occidendi causas fuisse multas, quas qui nosse vellet, concionû novissimè habitaram meminisset. Addebat prætereâ, quod Rex Protestantibus Germaniæ Principibus opem ferre parans in causâ Clivenâ, Pontifici maximo rem faceret ingratham; Papam enim esse Deum, Deo autem inimicum quovis modo tollendum. Cæterum distinctiones & argumenta, quibus Mariana, Francisci Veronæ, Bellarmini aliorumq; scripta referta sunt, homo in cæteris vecors & plumbeus accuratissimè callebat, seu legerat hæc, seu ab aliis inaudierat, si *Casaub.* in Epist. ad Front. Duc. p. 14. *Molin.* de Monarch. temp. c. 4. p. 49. *Serres* T. 7. p. 375. fides est habenda. Qua quidem in confessione notas doctrinæ Jesuiticæ apertas esse vir disertissimus *Petrus Mariælerius*, quantumvis Catholicus Romanus, in suâ actione coram toto senatu dicebat.

§. 6. Ex eodem principio suas *Jobannes Guignardus* conscripsit theses: *Sancti Bartholomæo tumultu peccatum esse, quod vena basilica sanguis non missus sit, quod si factum esset, ex febre in phrenesin rem minimè recasuram fuisse. Neronem crudelem a Clemente occisum, & simulatum monachum manu veri monachi concidisse: an Neronem ac Sardanapalum Francia, Vulpem Benearni, Leonem Lusitania, Lupam Anglia, Grippem Sueciæ Regem, aut deniq; porcum Saxonia Ducem vocandum? Praclarum Clementis facinus tanquam à Spiritu S. insinuatum, & ita à Theologis indigitatum, jure meritoq; à Dominicanorum Priore, confessore & martyre, tam Lutetiæ, cum *Judithæ* frequentî auditorio historiam enarrabat quàm Cesarduni Turonum coram iudicibus laudatum esse illumq; sententiam suam sanguine proprio obsignasse: nec fidem adversariis habendam esse, qui factum tanquam detestandum improbasse eum reculerunt: regnum in aliam,*
B 3 *quàm*

quàm Borboniorum familiam transferri potuisse ac debuisse: Cum Beneav-
nensi, quanquam religionem Catholicam professo, benè actum iri, si sine bello
deponi non possit, bellum cum eo gerendum, si bellum geri non possit, de me-
dio quavis ratione tollendum. Quæ omnia manu propriâ scripsisse con-
victus, & prius ignominiosè recantare jussus Parisiis in Portuensi
plateâ strangulatus est 7. id. Jan. & combustus, apud Thuan. l. III.
Hist. Ann. 1549.

§. 7. Hunc Guignardum *Clarus Bonarscius* in Amphitheatr Hono-
ris non tantùm laudat passim, sed & eò usq; insanix processit, ut in-
ter martyres numerandum esse disertè contendat. Appellat enim
clarum illud in cælo sidus nil amplius dolituræ domus innoxium piaculum:
cujus sanguinis vestigia nullus dies exeret, nullus cursus recursusq; tempo-
rum, nullus livor edax, nullus excinerabit ignis, cujus majus ab exequis no-
men in orbe &c. Tenebris ego, inquit, te nunc condam amica lux, patere,
fors dabo te aliquando clarissimum sidus, liberiore campo. Item. Recludam
te illustris urna clarissimi sideris fida custodia. Deum immortalem, quo
tandem furor iste evadet!

§. 8. Quæ cum à *Casaub.* in epist. ad Frontonem p. 23. *Anticotono,*
aliisq; objecta essent Jesuitis, simulq; ostensum, non privati alicujus
Scriptoris, sed verò Rectorum, præfectorumq; istam doctrinam esse,
atq; *Clarus Bonarscius* per ἀναργουατισμὸν esse ipsissimum *Caro-*
lum Scribanium Collegii Antverp. Jesuitici præfectum, valde ridicu-
lè & impudenter, ut solet, respondebat *Erycius Puteanus* in strictu-
ris adversus *Casaubonum* p. 21. *Mendaculus* quoque *Cretensis* nullis in-
diciis dicit *AntiCotonum* hanc suam conjecturam probare (quod *Clarus*
Bonarscius inverso nomine sit *Carolus Scribanius*) idèò non opus esse, ut
patrocinium suscipiat hujus scriptoris tanquam Jesuitæ, *AntiCotoni* unius,
hoc est, mendacissimi hominis testimonio, in resp. ad *AntiCot.* c. 3. p. 84.
Quæ ipsa repetit in Resp. ad *Casaub.* Epist. p. 52. Ego in *AntiCotoni*
confutatione, inquit, homini mendacissimo, sine ullis indicis hoc idem af-
firmanti, credere nolui, sed quod in tanto locorum intervallo, haud facile cer-
ti quicquam *Rome* sciri posset, negare id nolui. Cave modò ne rumores ex
levi alicujus suspitione ortos, & populari temeritate auctos pro ve indubita-
tâ nobis obtrudas. Verùm id non ex levi alicujus suspitione, aut po-
pulari temeritate, sed publico librorû indice à *Ribadeneira* Antverp.
Ann. 1608. edito probatur, in quo p. 40. hæc leguntur. *Carolus Scriba-*
nium Rector Collegii Antverpiani, Philosophus & Theologus. In humaniori-
bis

12
bus literis quid possit docet Amphibeatrum honoris, adversus Calvinistarum criminationes libris IV. Prætereâ Casauboni filius Mericus in Piet. contra maledicos patrii nominis & religionis hostes Londin. 1621. p. 34. vulgavit epistolam ab Andrea Schotto ad patrem Antverp. Idib. Jan. 1612. scriptam, in qua idem confirmatur. Nolle, inquit, in nuperis tuis illud de libro adjecisses ejus, cujus me potestati semel commisi, dictoq; audiens domi unâ versor, qui in d. u. Q. d. t. e. o. cavit studiose, ne Thuanum præsidem amplissimum, teq; si nominaret, volens lederet &c. Mittam ad te, si voles, tres ejusdem Scribanis controversorum in fide orthodoxâ libros typis Plantinianis propè evulgatos. Imò Eudemon Johannes ipse profitetur tandem, societatem plurimum ei debere, defensâ tam erudito volumine societatis causâ.

§. 9. Quæ autem hætenus à nobis dicta de excommunicatis, eadem quoq; observanda impostertum de hæreticis erunt. Eos enim omnes rursus tyrannorum loco habent, qui de hæresi, seu verâ seu ficta, suspecti sunt. Sanè, Rosæus Peregrinus Rom. in libr. de justa Reip. Christ. in Reges impios & hæret. auctor. edito Antverp. Anno 1592. c. 3. p. 156. vix aut nunquam fieri posse, ait, ut rex aliquis Catholicè Christianus è Christiano tali evadat hæreticus, quin eo ipso momento eademq; operâ è rege evadat tyrannus. Hoc autem (pergit) equè immane & barbarum perfectèq; est tyrannicum in Rep. Christiana, quàm aliquid eorum, quæ flagitiosissimi quiq; tyranni admiserunt in Rep. civili. Inde in margine addit: Omnis rex hæreticus est simul tyrannus. Denique totam istam de tyrannis disputationem p. 171. ita concludit: Istos tyrannos esse perfectè & absolutè in summo gradu, non modò Neronibus, Deciis, Diocletianis, sed etiam Achabis, Antiöchis, & reliquis famosis vel sacrilegis, vel persecutoribus pares aut etiam deteriores. Quibus gemina scribit cum alibi sæpius, tum præcipuè p. 174. 177. 609. seqq.

§. 10. Idem Rosæus Henricum III. eam ipsam ob causam tyrannorum maximè execrabilium catalogo p. 160. adscribendum contendit, ut qui ad fidem Catholicam è Gallia extirpandam non minus, quàm Henricus Anglus, vel Copronymus vel Theomachus Græcus, regia sua potestatis nervos intenderit. Boucherius quoque lib. de justa Henr. III. abdicat. eundem hæreticum appellat, aut saltem hæreticorum fautorem, quod toties hæreticis, cum propè exanimis essent, & facile vinci possent, facta pax, datæq; inducia, ut fortiores scilicet exurgere, ac religioni Catholica

nego-

negotium facessere validius possent, ut refert *Guil. Barclajus* l. 6. contra
Monarchom. c. 7. p. 436. unde tandem concludit, eum esse tyrannum,
ideoq; e Rep. ut parricidam ejiciendum, & occidendum.

§. 11. Hæc ita illi, quæ quàm aperte falsa atq; in tota antiquita-
te inaudita protus sint, nihil opus est nunc à nobis demonstrari.
Tantum obiter observetur primò cum nihil tale commiserit *D. Am-
brosius* Mediolanensis Episcopus (qui eadem cum Papa potestate erat,
quippe ei rei probandæ productus à *Bellarmino*) cum Theodosium
excommunicaret, neq; unquam eundem ob id tyrannum dixerit,
merito nobis suspectam esse hanc doctrinam. Deinde & id notatu di-
gnum est, nec *Aristotelem* ubi ex professo de tyrannis agit, neq; alios
in antiquitate Scriptores hæc dixisse aut scripsisse de tyrannis. Quod
si igitur hoc privilegio in disputando Jesuitæ gaudent, ut contra o-
mnium Scriptorum constantem sententiam vocabulis uti liceat, *ἀπὸ
τῆς αἰτίας ἡγεγον* omnia obtinuerunt. Quod quidem tam certum est,
ut cum *Casaub.* in epist. ad Front. hæc de re conquestus esset. *Cretensis
Eudemon* in Resp. p. 56. nihil quicquam invenit, quod ipsi præter
conyitia opponeret. Quod enim dicit antiquiorum quàm *Sorbona*
aut *Hildebrandus* sit, eam sententiam esse, affirmat id quidem, sed
non probat, rectius facturus, si testimonia ejus rei attulisset, modò ei
quædam in promptu erant. Verùm ille quantò magis probationibus
destituitur, eò strenuius maledicit, non jam vulgaria & solennia illa
tantum hæreses, & falsa, ut solet, sed mendacia, deliria, & si quid his
est simile ingeminans.

§. 12. Verùm nos his nunc omissis, in instituto pergemus, & quid
tyranno faciendum censeant, breviter considerabimus. Cum autem
ille, uti diximus, duplex sit, unus titulo, alter administratione, de
priori quoque priuserit agendum.

§. 13. Quanquam verò *Azorius* Instit. moral. part. 2. l. 11. c. 4. q. 10.
tyrannum occupatione occidi licite à quocunq; posse, expressè ne-
get, qui, cum recensuisset eos, qui concedunt privato jus in eum, qui
injustè regnum obtinet, hæc sententia, inquit, quamvis tot auctorum te-
stimonio cõprobetur, mihi tamen dubia est. Primò quia in Concilio *Constan-
tensi* damnatur articulus hic; Quilibet tyrannus licite potest à quocunq;
interfici, ubi *Synodus* generaliter de tyranno loquitur. Ita *S. Augustinus* l. 1.
de Civ. Dei ait: Qui sine aliqua publica administratione maleficum occide-
rit.

1
r't, velut homicida iudicabitur, & tanto amplius, quanto sibi potestatem à
Deo non concessam usurpare non timuit. Præterea S. Thomas non dixit ex-
presse Tyrannum, qui se fecit Dominum laudabiliter occidi à privato cive,
solum dixit generatim laudabiliter occidi. Contrariam tamen tanquam
communem & receptam defendit Suarez Defens. l. 7. c. 4. sect. 7. & 11.
tyrannum quoad titulum interfici posse à quacumq; privata persona, quæ sit
membrum Reip. quæ tyrannidem patitur, si aliter non potest Remp. à tyrannide
liberare. Ad id autem, quod August. l. 1. de Civ. Dei absolute dicit,
sine publicâ administratione non licere aliquem occidere, respon-
det, illum privatum hominem, qui huiusmodi tyrannum occidit, non id fa-
cere sine publica administratione, quia id facit, vel auctoritate Reip. tacite
consentientis, vel facit auctoritate Dei, qui per naturalem legem dedit uni-
cuique potestatem defendendi se & Remp. suam à vi, quam similis tyrannus
facit. Mariana quoque, in eo consentire tum Philosophos tum Theologos
video, ait l. 1. de Rege c. 6. eum principem, qui vi & armis Remp. occupavit,
nullo præterea jure, nullo publico civium consensu, periri à quocumque, vitæ
& principatu spoliari posse. Cum hostis publicus sit, malisq; omnibus patri-
am opprimat, vereq; & propriè tyranni nomen & ingenium induat, amovea-
tur quacumque ratione, exuatq; quam violenter occupavit potestatem. Quo
merito a Jod muneribus in Eglonis Moabitarum Regis gratiam insinuatua
sum peremit pugione in ventre confixo: popularesq; suos durâ servitute eri-
puit, quæ jam decem & octo annis premebantur. Qui ipse quoq; ad Con-
cilium Constantiense p. 62. excipit, id decretum Romano Pontifici Mar-
tino V. non probatum, nec Eugenio aut successoribus, quorum consensu con-
cilio Ecclesiasticorum sanctitas stat, ejus præsertim quod non sine Eccle-
siae motu, tricipiti Pontificum dissidio, de summo Pontificatu contendendum
celebratum. Sed Pater Suarez salvâ manente Concilii auctoritate
sic Regem Magnæ Britanniæ affatur: Ubi legit Rex in Concilio Const-
antiensi particulam illam, Principes per papam excommunicati vel depravati?
aut illam, per suos subditos, aut alios quoscumque? Cum ergò hæ particule
additæ illi propositioni, reddant illam & sententiam ejus longè diversam,
fallaci & illusoriâ illatione talis sententia concilio tribuitur, ubi supra l. 6.
c. 4. sect. 20.

§. 14. Verùm, quia nobis non tam de tyrannis ratione occupatio-
nis, quàm gubernationis quæstio est, ea potissimum persequemur,
quæ in altera illo observanda esse docent. Principiò autem si quis

B

pro-



probabiliter saltem existimet licere tyrannum & legitimum regem occidere, ipsum utiq; non malè agere judicat *Cretenfis* in *Apol.* pro *Garnetto* c. 10. n. 2. p. 274 quamvis à sententia confessarii, iudicioq; dissentiat. Cui probando adducit *Antonin.* part. 3. tit. 17. c. 20 §. 2. *Sylvest. Confess.* 3. q. 7. *Conrad.* q. ult. de *Contract.* *Concl.* 3. *Gottfrid.* quodl. 9. *Angel. Confess.* 4. n. 3. & *Ornat.* n. 4. & c. 27. n. 28 & *C. si quis de pœnit.* d. 7. n. 66. *Scot.* 4. d. 18. q. 2. art. 5. ad 5. *Med.* p. 3. q. 19. art. 6. *dub. antepen.* *Salon.* 2. 2. q. 63. art. 4. *Controv.* 2 *Concl.* 4. *Valent. ib.* dist. 5. q. 7. p. 4. *Henr.* quodl. 3. de pœnit. c. 26. n. 6. *Ledes.* 2. p. 4. q. 8. art. 4. *dub.* 7. *Victor.* in *summ.* n. 164. *Palud.* 4. dist. 17. q. 2. art. 1. *Perez.* *Sayr.* *Azor.* *Vasq.* *Suar.* *Salas* p. 3 tract. 8. disp. unic. sect. 9. *Opin.* 2. & 3. Unde tandem colligit, excusandos à parricidio *Catesbejum*, *Thomam* & *Rob. Winteros*, *Guidonem Faukes*, *Rob. Keies*, *Thomam Bates*, *Thomam Percy*, *Job.* & *Christoph. Wright*, aliosq; conjuratos, quod cum alioqui re-
gios à admodum essent conscientia, diu eam rem meditati, omnes investiga-
verint rationes, quibus persuadere sibi possent, nihil in suo consilio contineri
à *Dei* praeceptis alienum, atque ut erant ingeniosi, tam multa excogitaverint,
quibus se consiliumq; suum tuerentur, ut *Grienvello* etiam viro in *Acade-*
mia diu, nec sine laude versato refellere aggresso negotium facesseret *Cates-*
bejus, neq; tamen convinci posset.

§ 15. Eadem hæc alii, sed expeditè & sine ulla hesitatione docent. *Cum* primis autem *Suar.* Def. 1. 6. c. 4. sect. 15. eandem doctrinam fu-
sè profequitur, cujus hoc primum fundamentum jacit: *Si* Rex legiti-
mus tyrannicè gubernet, & regno nullum aliud subfit remedium ad se defen-
dendum, nisi Regem expellere & deponere, poterit *Resp.* tota publico & com-
muni consilio civitatum & procerum, Regem deponere, tum ex vi juris natu-
ralis, quo licet vim vi repellere, tum quia semper hic casus ad publicam *Reip.*
conservationem necessarius intelligitur exceptus in primo illo fœdere, quo
Resp. potestatem suam in Regem transtulit. Ita & *Emanuel Saa*, in voce
Tyrannus, aliiq; qui eò usque progrediuntur ut subditos ad id teneri
disertè dicant. *Josephus Creswell* *Jesuita* *Anglus* in lib. edito sub no-
mine *Andrea Philopatri* sect. 2. n. 162. Subditi hujusmodi principes suos
non tantum legitimè possunt deturbare, sed etiam ad hoc **PRÆCEPTO**
DIVINO & conscientia vinculo artissimo, ac extremo animarum sua-
rum periculo tenentur. Item *Boucher.* l. 3. de *justa Henr. III.* abdic. c. 14.
& 15. p. 271. Tyrannum occidere quovis modo nō tantum licet, verum etiam
impe-

Imperatur. Idem Creswell, Diligentissimè ita informandos Catholicos, ait, ut oblata cadis occasione, nullo dubio aut impedimento se dimoveri patiantur. Et ita omnes Doctores Theologiae & juris tenere, idq; verum & fidei articulum esse.

§ 16. Mariana autem pro sua in principes benevolentia disertè ait, esse salutarem cogitationem, ut sit principibus persuasum, si Remp. oppreserint, si vitis & fœditate intolerandi erant, eâ conditione vivere, ut non JURE tantum, sed cum LAUDE ET GLORIA perimi possint, l. i. de Rege c. 6. p. 61. Item p. 57. Ab omni memoria consideramus in MAGNA LAUDE fuisse, quicumque tyrannos perimere aggressi sunt. Quid enim Ibrasybuli nomen gloria ad cælum evexit, nisi gravi triginta tyrannorum dominatu patriam liberasse? Quid Harmodium Aristogitonem dicam? quid utrumque Brutum? quorum laus gratissima memoria posteritati in alusa, & publicâ auctoritate testata est. Et p. 60. concludit: Ita facti questio in controversia est, quis meritò tyrannus habeatur: juris in aperto, fas fore tyrannum perimere. Sic p. præc. His gradibus procedatur. Mennendus in primis princeps erit, atque ad sanitatem revocandus, qui si morem gesserit, si Reip. satisfecerit, peccatq; correxerit vitæ superioris, non resistendum arbitror, neq; acerbiora remedia tentanda. Si medicinam respuat, neque spes ulla sanitatis relinquatur, sententia pronunciata licebit Reip. ejus imperium detrectare primùm, & quoniam bellum necessariò concitabitur, ejus defendendi consilia explicare, expedire arma, pecunias in belli sumtus imperare populis: & si res feret, neque aliter se Resp. tueri possit, eodem defensionis jure ac vero potiori auctoritate & propria, principem publicum hostem declaratum ferro perimere. Eademq; facultas esto cuicumque privato, qui spe impunitatis abjecta, neglecta salute in conatum juvandi Remp. ingredi voluerit.

§. 17. Sed quid opus est plura loca adducere, cum passim in libro isto idem profiteatur? Tantùm id explicasset, aut adhuc ejus loco alius explicet velim, ecquid sit, quod potiori auctoritate & propria principem publicum hostem declaratum occidi posse, contendit? Quod Resp. possit ejus imperium detrectare, arma expedire, atque principem suum ferro perimere? Ergone ad paucorum libidinem regna mutare & sceptrâ laceffere audebimus? Id quidem negare videri vult Mariana, cum p. 60. ait: Non id in cujusquam privati arbitrio ponimus, non in multorum, nisi publica vox populi adsit, viri eruditi & graves in consilium adhibeantur,

in idem tamen labyrinthum se conjicit eum *Suarezio*, ubi supra, qui dicit id fieri auctoritate *Reip. tacite consentientis*, quibus quidem verbis *Remp.* aut populum contradistingvunt suo Regi. Unde ipse *Mariana* p. 57. *Certe à Rep. unde ortum habet regia potestas, rebus exigentibus Regem in jus vocari posse & si sanitatem respuat, principatu spoliari, neque ita in principem jura potestatis transtulit ut non sibi majorem reservavit potestatem.* Eadem habet *Bellarmin.* l. 2. de Concil. c. 19. *In regnis hominum potestas Regis est à populo, quia populus facit regem, qui alioqui esset homo privatus, sicut ceteri.* Unde hanc consequentiam elicit c. 19. *In rebus publ. temporalibus, si Rex degeneret in tyrannum, licet sit caput regni, tamen à populo posse deponi, & eligi alium.* Et *Recognit. l. de Laic.* laudat *Navarrum*, qui non dubitat affirmare, *nunquam populum ita potestatem suam in regem transferre, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis quibusdam casibus etiam actu recipere possit.*

§. 18. Quod autem addebat de viris gravibus & eruditis, qui in consilium adhibendi, quid aliud est, quam si privatorum id arbitrio committeret? Quod etsi non nihil excusare conatur *Cretensis*, iste tamen *Marianæ ἐπινοουμένης*, dum socium corrigit, nihilo plus meliora affert. *Existimasse eum constantem civium voluntatem publica auctoritatis loco esse. Sed ne temeritas multitudinis in odia principum plerumque sine justa causa ruentis periculum minus etiam malis principibus crearet, consuli viros doctos ac veluti arbitros adhiberi eum voluisse, satisne justa causa principem populus oderit, in Confut. Anticot. c. 1. p. 31.* Quales illi, qui ab *Hojeda* in limine *Marianæ* indignantur, approbatos à viris doctis & gravibus ex eodem nostro ordine. Vel ab ipso *Eudemonjohanne* in *Resp. ad Epist. Casaub.* c. 2. p. 16. *Alanus, Sanderus, Philopater, graves imprimis & eruditi viri.* Item in *Apol. pro Garnetto* c. 13. p. 345. & alibi sæpius.

§. 19. Quicquid igitur dicant, tota tandem disputatio huc redit, licere Regem occidere post sententiam à populo latam & cum ceperit à paucis seditiosis, viris gravibus & eruditis tyrannus appellari. Hinc Pontifex *Sixtus V.* gravis scilicet & eruditus vir, in ea oratione, quam de cæde *Henrici III.* in Consistorio *Romæ* habuit parricidam *Clementem* non consideravit ut *hominem privato spiritu impulsam*, sed à *Deo extra ordinem suscitatum, & heroico impetu*

petu facimus illud perpetrantom. Non tantum enim cum Eleazari & Judithæ actis comparat, sed & supra ea longissimè extollit.

§. 20. Trestantum casus sunt, qui in eo considerari possunt. Rex tyrannicè gubernans posset occidi à quolibet subdito privato, ait Suarez l. 6. c. 4. sect. 4. titulo *justa vindicta & punitionis, vel titulo justa defensionis sue vel Republicæ.* De primo titulo convenit, quod potestas vindicandi vel puniendi delicta non est in privatis personis, sed in superiori, vel in communitate perfecta. In altero, Distinguere oportet, an quis defendat seipsum, vel Remp. Item si seipsum, an defendat vitam aut membra, seu gravem corporis mutilationem, vel tantum defendat bona externa & fortuna. Nam propter solam defensionem externorum bonorum non licebit Regem invadentem occidere, tum quia præferenda est vita principis his bonis externis &c. At verò si defensio sit propria vita, quam Rex violenter afferre aggreditur, tunc quidem ordinariè licebit subdito seipsum defendere, etiamsi inde **MORS PRINCIPIS** sequatur, quia jus tuenda vita est maximum, & tum Princeps non est in necessitate, qua obliget subditum ad vitam pro illo perdendam, sed ipse voluntariè & iniquè in illo discrimine se constituit. Hoc ipsum est, quod voluit Sebast. Heisius Resp. ad 1. Aphor. c. 3. n. 97. **Neminem privatum, EXTRA NECESSITATEM SE SUOSQUE DEFENDENDI,** manus inferre posse legitimo Principi, ante publicam judicialiter latam sententiam, qua tyrannus hostisq; Reip. declaretur, adeoque potestate, qua potiebatur ab his, quibus fas est, exuatur.

§. 21. Ex quibus hæc consecutaria sequuntur, primò, posse legitimum Principem in aliquo necessitatis casu à privato cive occidi. Deinde, post latam contra eum sententiam justo supplicio affici.

§. 22. Unum saltem adhuc restat, quod pertinet ad modum occidendi. Hoc omne genus pestiferum & exitiale, ait rursus Mariana l. 1. c. 7. de Rege, ex hominum communitate exterminare gloriosum est. Questionem tamen habet, an par facultas sit veneno herbisq; letalibus hostem publicum tyrannumq; occidendi. Et sanè quid interest ferro aut veneno perimas? præsertim concessa dolo & fraude agendi facultate. Est quidem difficile Principi venenum temperare, aula ministeriis septo, prætereà epulas explorare gustu solito: regia fortuna molem arcemq; perrumpere arduum. Sed si occasio oportuna offeratur,

eur, quis erit tam acuto ingenio, tam perspicaci, ut inter utrumque genus mortis discrepare contendat? Equidem non negabo his argumentis magnam vim inesse: foreque, qui iis inducti rationibus id genus mortis approbent quasi juri & equitati consonum, iis quæ dicta sunt consentaneum: summisso non modo sicario, sed etiam venenariio tyrannum seu publicum hostem jure opprimi. Item: Negamus tamen hostem, quem fraude dedimus periri posse, veneno interfici jure. Ratio est, quia Christiani crudele esse existimarunt eò adigere hominem, ut sibi ipsi manus offerat pugione in viscera adacto, aut letali veneno in cibo & potu temperato, perinde enim est, neg minus humanitatis legibus jurisque natura contrarium, quo in vitam suam se vivere vetatur omnibus. Hoc tamen temperamento uti in hac quidem disputatione licebit, si non ipse, qui perimitur, venenum haurire cogitur, quo intimis medullis recepto pereat: sed exterius ab alio adhibeatur, nihil adjuvante eo, qui perimendus est. Nimirum cum tanta vis est veneni, ut sella eo aut vestis delibuta vim interficiendi habeat. Quæ arte à Mauris Regibus invenio sæpè alios Principes missis donis veste pretiosa, linteis, armis, ephippis fuisse oppressos.

§. 23. Cogita mihi nunc istorum hominum benignitatem, qui cum corpora necaverunt, animabus benè cupere videri volunt. Scilicet timuit Jesuita ne Rex hauriens venenum propinatum alligaret se criminis in se admissi, & inde aliquod periculum animæ ejus crearetur. Ecce tam paucis lineis quantam camarinam absurditatem conclusit Mariana? Nec fieri aliter poterat, quin qui disertè disertatione hac omnia jura, inaudito prorsus exemplo, impugnanda sibi sumpserat, ipse in tam impia & hæretica dogmata, ut Concilium Constant. loquitur, incurreret. Sed de his plura dicenda non sunt.

§. 24. Quæ quidem huc adduximus, ut eò rectius & planius mens eorum intelligi, & quorsum ista omnia tendant cognosci à nobis possit. Patet autem inde non magis parricidarum sicas principibus metuendas, quàm venenata Alastorum scripta, quæ doctrinâ hac infectas mentes ad parricidia ducunt. Non enim tunc incipit aliquis esse parricida, cum ad scelus patrandum manum expedit. Tunc, tunc scelus contrahitur, quando incipit mens doctrinâ Marianæ aut similium corrumpi. Si latro est, etiam ante quàm manus inquinet, quia ad occidendum jam armatus est, & habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exerceatur & aperitur ope-

re nequitia, non incipit, ut Seneca ait l. 5. de Benef. Imò ad pœnam
sufficit, meditari puniendâ, ut ad laudem satis est, conari predicandâ.

Deinde id quoque manifestum est, quanta sit adversariorum tum
in manifestissimis etiam impugnandis, tum absurdissimis adfiru-
endis obstinatio, quo in genere non minus, quàm maledicentia
palmam omnibus sine dubio præripiunt Jesuitæ, nisi ubi Sciop-
pius, aut similes, illam iis ambiguam reddunt.

§. 25. Tandem autem & præcipuè constat, quid nobis ab istis
hominibus expectandum sit, qui postquam nos de hæresi diffama-
runt, in id dies noctesq; totis viribus incumbunt, omnes ratio-
nes investigant, quibus hæretici è medio tolli possint. *Sciant hæ-
retici*, ait *Job. Paul. Windeck.* in prognost. ruituræ hæres. Colon. An-
no 1603. Cum grat. & privil. Cæs. Maj. *nobis non deesse modos se-
ctas extirpandi.* Hinc *Franc. Verona* in Apologia sua pro *Job. Ca-
stello* negat Reges & Principes Evangelicos esse legitimos princi-
pes, sed tyrannos, & propterea à quovis etiam privato non occi-
di tantum posse, sed & debere. *An lupam Angliæ, Griphem Sue-
cia regem, aut denique porcum Saxonie Ducem vocandum?* dicebat
Guignardus ubi supra. Item: *Ex occupatione regni Dania maxima
utilitas redundatura esset ad religionem Catholicam, non tantum pro-
pter extirpationem principis hæretici & pessimæ nature, verumetiam
propter auxilia quæ hinc accipere possent res Catholicorum in Belgio,*
ait *Job. Boterus* in thesauro polit. ex *Florimundo Remundo*, in
hist. hæres. nostri seculi, Lutetiæ edit. cum privilegio Ann. 1605.
Hinc apertum adeò bellum Evangelicis principibus indicit
Campianus in concert. Eccles. Cathol. Treviris excusa f. 22. *Ve-
lim*, inquit, *sciatis quod ad nostram societatem attinet, omnes qui per
totum orbem longè lateq; diffusi sumus, quorum continua successio &
magnus numerus, sanctum fœdus iniisse, nec quamdiu vel unus no-
strum supererit, studium & Consilia nostra de salute vestra (h. e. reli-
gionis & regni vestri everfione) intermissuros. Jampridem inita
est ratio, & inchoatum certamen. Nulla vis, nullus Angelorum im-
petus superabit.*

§. 26. Novimus eheu! novimus nimis, quæ ratio jampridem
inита sit, quod inchoatum certamen. Satis jam, satis est spectata
eorum erga nos voluntas. Et docent id tot intra paucos ad-
modum

quod



0-
modum annos aut patratae principum maximorum caedes, aut tentatae, tot prodiciones novae, inauditae, quibus vix simile priora secula ulla viderunt. *Sciant haeretici, sciant, ut oculi illis doleant, non deesse nobis modos sectas extirpandi*, dicebat Windek. Qualis cum primis fuit conjuratio ista pulveraria, quae ita instituta, ut Rex, Regina, regia soboles, omnes denique regni ordines uno impetu recta & compendiosissima, quantum potest, via in coelum proficiscerentur. Cujus horreni facinoris & architecti pariter & incentores fuerunt Jesuitae *Henricus Garnettus*, in Angliae regno annis XIX. Provincialis; *Hallus*, qui & *Oldcornus*; *Oswaldus Tesmondus*, qui & *Grienvellus* (ut enim lateant, binomines plerumque sunt) & *Johannes Gerhardus*. Nam die 1. Nov. palam Garnettus pro felici successu orabat, subjungens tandem: *Gentem auferre perfidam, Credentium de finibus, Ut Christo laudes debitas, Persolvamus alacriter*; Idque ita & non aliter fuisse non semel equidem, sed saepius & aperte, nec ex aliorum relatu, sed ex regni Angliae archivis, publicis actis, reorumque; adeo confessione egregie *Casaubonus* demonstravit, Et perfectio res tam liquida est, ut id potius queri possit, quomodo eo usque impudentiae quisquam devenire queat, ut illud indubium vocet. *Bellarminus* tamen in resp. ad Regem magnae Brit. negat; Et *Andreas Eudemon* *Johannes Cretensis* culpam facinoris in haereticos conjiciendam docet. *Idem*, inquit, *miseris importunitas hostium extorsit*, Apol. pro Garnetto c. 9. p. 240. Sed audiant Jesuitae ipsum Angliae Regem in praefat. Monit. ad Apol. pro Juramento fidelitatis p. 153. respondentem, *ad extremum liberè professum Garnettum, se non inter confitendum, sed inter ambulandum ad illius facinoris conscientiam ascitum*.

§ 27. Sed haec ideo tam prolixè hic recitavimus, non quod magnam adeo difficultatem habeant, quin nullo negotio facile dissolvi queant, sed partim ut absurditatem hujus dogmatis hoc modo ob oculos ponamus, partim etiam ut eam gratiam à *Cretensi* ineamus, qui petit, si qua extent Catholici cujusquam scripta, qui laudabile ac meritorum esse doceat, legitimum principem privato cuiquam vi, ferro, veneno, ulla ratione, de modio tollere, ut producantur. *Indicet a nomen*, inquit ad *Casaubonum*, p. 30. *ascribe locum, verba, quibus id tradat, annota; nullos habebit acriores, aut capitaliores hostes, quam Jesuitas, ac reliquos genuinos Romanae Ecclesiae filios*. Sed mirum non est, quod

quod ille tam audacter inficietur, cum & alii ex focis sint, quos
Marianæ, & similium, ac totius hujus disputationis valdè pude-
re. Quare ad exceptiones, quæ contra rem tam liquidam, & tam diser-
ta verba proferuntur, expendendas accedamus.

§. 28. Primò omnium audiatur *Bellarmino*. qui in epistola ad Black-
vellum ita scribit: *Non est unquam auditum ab initio nascentis Eccle-
siae usq; ad hæc nostra tempora, quod ullus Pontifex, principem ullum, quam-
vis persecutorem cædi mandaverit, aut eadem fortè ab aliquo patratam
probaverit.* Idem cum *Bellarmino* sibi asylum paratum habent *Ro-
bertus Swertus* de fide hæc. serv. sec. 14. p. 68. qui & ipsum *Henricum
IV.* affert, de Jesuitis pridie Nativitatis Christi 1603. Parisiis in ipsa
regia coram senatu Parisiensi longè aliter pronunciantem. Item
Heribardus Rosweidus Jesuita Ultrajectinus: *Si quis piacularis culter,
inquit, alibi fabricatus, si tragicam sicam in regis necem famiator quis-
piam exacuit, non ex alia officina faber, quam Jesuitica prodiit. Hic metalla
indefi ientibus serpunt venis, fluunt æra perennibus lapsibus, inextinctus ar-
det igne fornax, fervet incus malleorum continuis ictibus.* Sic *Euda-
monjohannes* non semel, *Richeome* in libro, cui titulus *Plainte Apo-
logetique pour la compagnie de Jesus*, aliq; plures.

§. 29. Verùm quid ab illis hominibus expectandum, qui negant
omnia, etiam evidentissima? sed ut ordine ipsis respondeamus, &
primò quidem *Bellarminum* quod spectat, impudentissimam homi-
nis frontem mirari subit, qui tam impudenter negat, quod ipse in
aliis suis libris expressè profitetur. Nam in eo libro, quem contra
Barclajum scripsit, *Non pertinet ad Monachos*, inquit, *aut alios Eccle-
siasticos viros cædes facere, ut habetur 23. q. 8. Can. 1. multò autem minus per
insidias Reges occidere. Neg. summi Pontif. consueverunt ista ratione Prin-
cipes coercere. Ipsorum mos est primùm paternè corripere, deinde per cen-
suram Ecclesiasticam Sacramentorum communionem privare, deniq; subditos
eorum à juramento fidelitatis absolvere, atque auctoritate regia, si res ita
postulat, privare. EXECUTIO AD ALIOS PERTINET.* Post latà ergò
sententiam, si quis de plebe Principem occiderit, fecerit rem licitam
& justam, nam (si *Bellarmino* credimus) executio ad eum pertinet.
Quare & iste ejus liber à senatu Veneto & Arresto Curia Parla-
menti Parisiis Ann. 1610. ad VI. Cal. Decembr. fuit damnatus, quod
*falsam & execrabilem propositionem contineat, que ad EVERSIONEM
potestatum à Deo constitutarum & ordinarum pertinebat, subditos acuat
ad rebellionem, & Principum imperio subtrahat, ad machinandū in eorum*

C

capita,



capita, ditionesq; ad turbendam deniq; tranquillitatem, & quietem publicam incitet. Ne ultra etiam igne faviretur in librum, datum est dignitati personæ. Quod etiam post Ann. 1626. d. 4 April. accidit libro *Antonii Santarelli* Romæ edito, cujus doctrinam Facultas Theol. Paris. damnavit, tanquam *pacis publicæ perturbativæ, Regnorum, statuum, rerumq; publicarum everfivam, subditos ab obedientia & subjectione avocantem, & ad factionem, rebelliones, seditiones, & PRINCIPUM PARRICIDIA excitantem.* Quod iudicium ab Universitate fuit confirmatum, laudato amplissimis verbis ordine Theologorum, qui de *IMPROBA & EXITIALI doctrina ista* piè, religiose, salubriterq; statuisset: cum antea publico senatus decreto idem liber, easdem ob causas ad rogam fuisset damnatus. Et Ann. 1614. 27. Junii, de *Suarezii* libro contra sectam Anglicanam pronunciavit *Continere multas propositiones contrarias potestati supremæ quod licitum sit subditis ipsorum & peregrinis personas ipsorum invadere &c.* Decrevitq; publicè per carnificè comburi, in superq; advocatis Jesuitis Ignatio Armando, Carolo Turæo, Frontone Ducæo & Jacobo Sirmundo, ipsis fuit significatum, iustumq; ut cum Generali agerent, ne deinceps tales libri in lucem emitterentur.

§. 30. 2. Si non probantur cædes principum, nec tamen ullas improbasse videri possunt. Intererat sanè extare aliquod exemplum saltem in eorū gratiam, qui Papam suū in terris agnoscunt Deum. Hinc *Personius, Alanus, Sanderus, Cresweil, Balduinus, Owenus,* aliiq; parricidæ Romæ & in Hispania diu impunè sunt versati. 3. Contra ea potius defenduntur isti, qui in principes tale quippiam commiserunt. Hinc illæ apologiæ pro *Garnetto Cretensis, pro Jobanne Castello Francisci Verone,* aliaq; Et ipsum Curia Parisiensis contra *Castellum Arestum, Romæ* censura fuit notatum, ut memorat *Molin. de Mon. temp. p. 17.* 4. Et ne quidem homicidæ existimantur. Hinc Papa *Urbanus* *Gaus. 23 q. 5. Can. excommunicator.* sic ait: *Non eos homicidas arbitramur, quos adversus excommunicatos Zelo matris Catholice Ecclesie ardentes, aliquos eorum trucidasse contigerit.* Et *Emanuel Sa,* in *Aphorism. Confess. V. Clericus:* *Clerici, inquit, rebellio in regem non est crimen læsæ majestatis, quia non est subditus Regi.* Quæ verba ex editione Parisiensi erasa quidem sunt, ut notat *Casaub. ad Front. p. 54.* manent tamen in editione Antverpiensi, & prima Colonienfi. Et præterea quamvis id non scripisset, sequitur tamen ex communi eorum

12
eorum axioma, quod Clerici non sint subiecti principum. Hinc
etiam est, quod martyres celebrant omnes Clericos, qui in Anolia
affecti sunt supplicio propter crimen læsæ majestatis: Cum enim
non potuerint illud incutrire, eorum injustum fuisse supplicium
contendunt. Accedit quod, *Regula generalis est*, ait Suarez Def. fid.
l. 4. c. 15. sect. 1. *personas Ecclesiasticas gaudere immunitate, seu privilegio
fori in causis criminalibus, non solum in criminibus Ecclesiasticis, sed etiam
in civilibus, ut verbis utamur Justiniani, ita distinguentis.*

§. 31. 5. Laudantur cum ab aliis passim, tum à Pontifice Sixto V.
in ea oratione quam 3. Id. Sept. 1589. Romæ in conclavi habuit, in
quâ Monachum Clementem pleno ore dilaudat, in hoc facto plura in-
tervenisse, quæ ab homine, nisi **SPECIALI AUXILIO DEI** concurrente,
expediri non quiverunt. Item, magis clarere supernam **OPERATIONEM**
in isto, quàm in aliis **HUIUS GENERIS**, quæ in sacra historia sunt. Et
postquam de Juditha verba fecisset, *Hic verò Religiosus*, inquit, *aggres-*
sus est & confecit rem longè MAJOREM, pluribusq; impedimentis ac tan-
tis difficultatibus periculisq; obsitam, ut nulla prudentia aut astutia huma-
na, nec alio modo nisi aperta Dei ordinatione ac **SUCCURSU** confici po-
tuerit. Mariana quoque l. 1. c. 6. de Rege idem cum Sixto sentit: *Cæso*
Rege ingens sibi nomen fecit: cæde cædes expiata, ac manibus Guisii Ducis
perfidè perempti regio sanguine est parentatum. Item Ribadeneira alibi q;
6. Imò Jesuitas addere animos parricidis, in actione proditoria
contra Garnettum memorat Cogovus p. 25. & 80. *Batiffius*, inquit, *in*
conscientiam conjurationis ab hero Catesbejo admissus, ut fidelius retice-
ret, & alacrius prosequeretur ceptum negotium, Grienvel Jesuita illum
adigit ad confessionem, omnibus modis addit animos, hortatur & suadet,
deniq; eum tam justâ fretum causa, & jure omnino posse & debere illud
non modò subire, quod herus impertierat, verùm etiam adjicit, in super
omni culpa vacare, justumq; & præclarum facinus, quod moliebatur, esse.
Idq; non tantùm licitum, verumetiam 7. meritorium à patribus
Jesuitis Clementi fuit responsum, non solum id inoffensâ conscientia fa-
cere posse, sed multùm apud Deum meriturum, & si in actu ipso moriatur,
procul dubio inter beatorum choros animâ ejus evolaturam, apud Thuan.
lib. 96. ad Ann. 1589. Item Johanni Castello apud eundem l. 111. ad
Ann. 1594. non solum impunè fieri posse, sed plurimùm ad religionis caus-
sam conducere. Item lib. 135. ad Ann. 1605 de parricidis Anglis, *Ita*
ad facinus, ait, *non solum licitum & laudabile, verum etiam meritorium*

4.
Theologis suis auctorati acceſſerunt. Et Mariana l. i. c. 7. de Rege p. 64.
Quod ſi evaſerint, inſtar magnorum heroum in omni vita ſuſcipiuntur, ſi
ſecus accidat, grata ſuperis, grata hominibus hoſtia cadunt, nobili conatu
ad omnem poſteritatis memoriam illuſtrari.

§. 32. Deniq; non laudantur tantum, ſed & in martyrum nume-
rum, novo proſus & haectenus inaudito exemplo, referuntur. Exem-
plum illuſtre ex Apologia, quam pro ſenatu Veneto Bernhardus Gi-
raldus Patavinus conſcripſit, depromere licet. Primarius quidam Ba-
ro Scotus, inquit, idemq; ſpectatiſſima in religione conſtantia cum Romanis
veniſſet, inq; templo illo Jeſuitarum inter alios ſodalitatis illius martyres
Henrici Garnetti effigiem vidiffet, mirum in modum iracundia exarſit, &
Proh Dei, inquit, & hominum fidem uſq; adeone projeeta eſt iſtorum im-
pudentia, ut proditorem iſtum & parricidam notiſſimum in celeberrima
Romana Urbis Eccleſia inter Sanctos & martyres religioſe colendum pro-
ponere non dubitent? Et hoc videt Papa & tolerat? cum tamen nescire
haud poſſit, quod lippi & conſores norunt, non religionis Catholica cauſa
ad ſuſpensionem adactum fuiſſe Garnettum, neq; quod pulveraria ad verſus
Regem conjurationis per Confeſſionis Sacramentum conſcius fuerit, ſed
quod ipſe eam machinatus auctorem ſe ſuaſoremq; conjuratis ad facinus
audendum praebuerit. Multa hominum millia, unum ex Ducibus conjura-
torum, cum jam in eo eſſet, ut capite ſolus expiaret, clara voce pronun-
ciantem audiſſe, ſe non modo Britannia, ſed ne orbis quidem terrarum
imperium meriturum fuiſſe, ut tale facinus ſuſciperet, niſi Garnettum tan-
ta auctoritatis hominem ejus ſuſcipiendi auctore & impulſorem habuiſſet.
Quid igitur? an illi, qui mala faciunt, ut bona inde eveniant, & ad ma-
jorem Dei gloriam, graviſſimorum ſclerum non modo conſcientiam, ſed
nec ſocietatem, atq; adeo primas partes, reformidant, continuo non dico ex-
cuſandi aut ſcleris abſolvendi, ſed laudandi, & cum Divis reponendi erunt?
Hoc Pontifex & Cardinales vident, & aequis ſunt animis, nec interce-
dunt peſſimo exemplo trabenti perniciem in avum? Quid de ceteris mar-
tyribus & aſcriptiſſis ſeu Canonizatis Divis exiſtimaturos putant non
proſus obſe naris homines, cum proditoris convictos & condemna-
tos Romae publice colendos proponi vident? Talia Scotus ille maxima
cum invidia paſſim jaectabat. Nec multo poſt edicto Pontifex omnes
illos Jeſuiticos Divos tanquam ſubreptitios & vitio creatos loco movit, &
tenebris addixit. Hac ille.

§. 33. Sed

12
§. 33. Sed quid de tota hac re statuendum porrò supervacuum est exponere, cum tam præclari, tam uberes Regum Principumq; in eam rem commentarii extent. Rex Angliæ *Jacobus* in Apol. pro juram. fidel. p. 78. seq. eadem hæc, sed tantò accuratiùs exponit, quanto ipse doctior aliis fuit. *Nescio qua fronte*, inquit, *hoc contra quam ipse novit, tam audacter inficietur* (Bellarminus). *Quàm multis enim Imperatoribus bellum à Pontifice excitatum est intra sua ipsorum viscera? &c.* Ad nostra tempora oculos convertamus, in iisq; recedemur Panegyricam orationem à Pontifice habitam in Conclavi, in qua laudes & ipsius sceleris celebrat & Monachi, qui Henricum Regem Christianissimum istius nominis tertium vitâ privavit, qui Rex tamen tam longè absuit, ut aut hæreticus aut Ethnicus, aut persecutor opinione illorum esset, ut Pontifex ipse in illa Oratione de eo pronunciet hæc verba. *Quod verus monachus fictum occiderit. Præterea ac si satis non fuisset idem scelus oratione tam vehementi, & congratulatione illustrasse, quàm parùm abfuerit, quin parricida monachus in numerum Divorum propter hoc suum tam gloriosum facinus referretur, Bellarmino ejusq; sodalibus notius est, quàm mihi.* Plura talia ibi legere est, qui & magnum Catalogum contexit eorum, qui à Pontif. sunt interfecti. Idem hoc denuò repetit apud Casaub. in epist. ad Fr. Ducæ, quæ est 169. epistolarum Casauboni nunc recens editarum Ann. 1638. à Joh. Fred. Gronovio: *En tibi Casaubone, inquit, librum cum patris Frontonis professione bellè congruentem.* Invenies in eo defensionem auctorum, qui istam Principibus perniciosam doctrinam docent. Invenies nuperum Bellarm. scriptum Satanicum non obscure defensum. Invenies auctorum proditionis pulveraria, quæ tetricis fingere ne diabolus quidem potest, acriter defensam innocentiam, & ipsos glorioso martyrum choro ascriptos, invenies denique omnia contraria verbis Front.

§. 34. Alterum deinde quod excipiunt, est, *Solum Marianam ita docuisse, nec id toti statim societati imputandum. Librum Marianæ societatem damnasse, priusquam damnaretur à Senatu Parisiensi.* Ita se excusant *Pierre Cotton*, apud *Jean de Serres* en l'inventaire de l'Histoire de France T. 8. p. 4. Item *Gretserus* in Hæret. vespertil. p. 160. *Becanus*, *Heisius*, *Eudemon Johannes* in Respons. ad AntiCot. p. 23. 32. 35 96. in resp. ad epist. Casaub. p. 30. & 70. *Sylvester Petra Sancta* *Jesuita Romanus*, aliiq; passim.

36.
§. 35. Verum i. si ita est, cur non iste liber in Indice expurgatorio invenitur? Cum n. Romæ aliquando de Mariana scriptis instituta esset cognitio, in Indice expurgatorio Romano, in Hispanico Madritensi Ann. 1614. & in Olyssiponensi anno 1624, edito auctoritate Ferdinandi Martini Mascaregnas Algarbiorum Episcopi, Lusitaniæ inquisitoris generalis, alii quidem ejus libri notati sunt censurâ, Colonia editi Ann. 1609. hic verò de Regis Institutione ne reprehensus quidè fuit. Damnatum fuit Romæ Arrestum Parlamenti adversus Johannem Castellum, qui Henrico IV. Regi præstantissimo dentem cultro excussit. Item notatæ sunt Historiæ Jacobi Augusti Thuanii, viri omni laude dignissimi, hi soli libri intacti relinquantur. 2. Gretserus, Cretensis, aliiq; multum desudant, ut doctrinam Marianæ excusare aliquo modo possint. 3. Ribadeneira, Scribanusq; apertè laudant, imò Apologista Anglus, illos inimicos sancti nominis Jesu esse, qui cõdemnarunt Marianam propter talem doctrinam ait apud Casaub. in epist. ad Fronton. p. 44 Et alius Anonymus Apologista pro societate Jesu, disertè contendit, optandũ quodammodo esse, ut Ravallanus Marianam legisset. Quanquam autem id falsum sit, eos, qui cædes Principum suorum cogitant, lectione Marianæ, ullo pacto ad mutandum propositum posse adduci, manifestum tamen inde est, ea afferri ab adversariis, quæ adversis frontibus inter se concurrunt. Nugæ ergò meræ sunt dicere solum Marianam ita sentire, ejus librum à societate damnatum, & nihilominus quæ ille tam expressis verbis asserit defendere aut excusare.

§. 36. Demum 4. ex superius instituta à nobis deductione manifestũ est, nõ solius Marianæ, sed multorum Doctorum sententiam esse. Non cadit tantum nivium unã hyeme, quantum librorum novæ hujus doctrinæ paucis ab hinc annis editum est. Nihil profectò Mariana scripsit, quod non ante eum plures dixerunt. Scripsit Mariana PERMISSU SUPERIORUM. Approbarunt in Hispania auctoritate Regia F. Petrus de Onna Magister Provincialis, An 1598. Et Stephanus Hojeda visitator societatis in Provincia Toletana, potestate facta à Claudio Aquaviva generali, Madriti 4. Non. Decembr. 1598. Legerunt & approbarunt viri docti & graves ex eodem ordine, Thuanus quoq; lib. 130. ad Ann. 1604. recitat orationem Achillis Harlæi, Senatus Principis, in qua totus Senatus approbat, Jesuitas docere, Pontificem jus habere Reges extra communionem Ecclesiæ ponendi, ex.

di, excommunicatum Regem tyrannum esse, & subditos contra eum impu-
nè insurgere, ipsorum unumquemq;, qui vel minoribus Ecclesie ordinibus
sit initiatus, quodcunque crimen admiserit, in lese majestatis crimen non
posse incidere, quippe qui minimè sint amplius Regis subditi, nec jurisdic-
tioni ejus subjecti, ita Ecclesiasticos per eorum doctrinam à seculari pote-
state eximi, & manus cruentas licere impunè sacrosanctis Regibus afferre,
hoc eos libris editis asserere. Idem memorat de Barrierio à Jesuita Va-
rada subornato, de Guignardi scriptis, quibus Henrici III. eadem approba-
bat, & parricidam laudibus efferebat, de Odone Pichenato ex eo Sodalitio,
à Sexdecimanis Lutetie pro factionis duce assumpto, homine solemniter insa-
niente, qui eodem furore, quo vixerat, tandem expiravit. Et id sanè ma-
nifestius longe est, quàm ut confirmari ulterius necesse sit.

§. 37. Deniq; & hoc addere solent, Generalem Aquavivam edidisse
sanctionem, ne quis deinceps societatis religiosus, publicè aut privatim
prælegendo seu consulendo, vel libros scribendo affirmare præsumat, licitum
esse cuicumq; personæ, quocumq; prætextu tyrannidis, Reges aut Principes
occidere, seu eis mortem machinari, quæ extat apud Cretensem in Resp.
ad AntiCot. c. 1. p. 40.

§. 38. Sed vel magna imperitia est, vel circulatorium prorsus in
re manifesta fallendi incautos studium. Quæ enim hæc per Deum
immortalem consequentia est: Nullus hodie Jesuitarum ita scribit,
quia Generalis Aquaviva prohibuit? Sic nulli in societate sunt di-
vitiis dediti, nulli dignitates ambiunt, quia in regulis societatis &
constitutionibus id cavetur. Ita: Nulli sunt homicidæ, nulli adulte-
ri, nulli mendaces inter homines. Cur? quia id omnibus expressè in
Decalogo prohibetur. Quare hinc aut magna imperitia latet, aut
quod credibilius est, astutia. Deinde autem fucus tantùm lectori fit,
& ut aliàs sæpè, equivocis ludunt. Quod n. nolunt cuicumq; personæ
licere, id quibusdam volunt, quod nolunt quocumq; prætextu, id aliquo
volunt, quod nolunt fieri Regibus & principibus, id intelligunt de iis,
quos Reges & Principes sentiunt, non de iis, qui quamvis in regno
hæreditario regnent, tamen à Jesuitis tales nō habentur. Postquam
enim à Pontifice Romano fuerint excommunicati, vel regno pri-
vati aut à Republ. & populo, non amplius Reges esse & principes,
sed tyrannos sine titulo, & ex tunc posse tanquam tyrannos tractari, &
consequenter à quocumq; privato interfici, Suarez l. 6. c. 4. sect. 14. adver-
sus sectam Anglianam, qui idem addit, Regem deprivatū & diffidatam
non

non jam esse superiorem potestatem, & licere cuilibet privato talem interficere. Diffidare autem & bannire apud Pontificios significant statuere vel precipere ut impunè possint interfici. Præterea quando privati hoc interdiciunt, etiam in ambiguo ludunt, quia privatim eum esse non putant, qui quantumvis in nullo munere publico constitutus, est tamen membrum Reip. vel ab ea expressè aut TACITE motus, aut populi desiderio & voto adductus, in Principes insurgit. Quo pacto vix unquam reperietur sicarius, qui non prætere tendere possit talem publicam auctoritatem, si TACITUS sufficiat consensus. Et Scoti contra regem legitimum rebellantes, qui aliàs ex centum & quinque regibus suis usque ad Mariam, tres exauctorarunt, quinque expulerunt, & triginta duos necarunt, eadem auctoritate se tueri possunt. Et hoc est, quod initio dixi, Jesuitas æquivocationibus ludere, & variis tandem ambagibus eò perducì, & sine alio iudicio, Reges omnes hæreticos & schismaticos, quos vocant, cujuslibet sicarii gladio subiciant. Benè profectò factum, si ita licet asserere, quod libet, ut semper contrarium ejus, quod dicitur, intelligendum sit, nihil est tam absurdè aut sine ratione dictum, quin illico hæc novâ & planè mirabili Sophistica astrui possit. Nec has artes etiam illi se dedecere putant, qui ab ipso S. S. Salvatoris nomine peculiariter appellari præ aliis gaudent. Imò tam manifestæ imposturæ Pontifici Maximo inscribuntur, & hæc doctrina non fertur solum, sed & publicâ auctoritate libri ejusmodi tanquam ad confundendas hæreses eduntur & commendantur. Quid ergò spei est, ut discussâ tandem omni errorum, & tam diuturnarum contentionum nube, lux veritatis undiquaq; denuò effulgescat, & pax Ecclesiæ aliquando restitatur.

§. 39. Hæc autem non ideò tam operose hæc commemoravimus, quod majorem, quam præcedentia difficultatem habeant, cum pleraque ex superius dictis nullo negotio confutentur, sed ut eò rectius intelligatur, quam nihil aut parùm firmi afferre adversarii possint, quo tam infrunitam & barbaram sententiam mitigare possint, etiam ubi in omnes partes sese verterint, & frivola quæque effugia excogitaverint.

§. 40. Sed jam tandem ab istâ mephici abeamus, & corollarii loco addamus, quæ habet Thuanus Elegia in parricidas Jesuitas sub finem sacræ Poeseos:

Nata magistratum convellere, nata ministris

Subtrahere obsequium, præsulibusq; suum.

Et viles regnantum animas, ipsosq; necandos

Horrenda reges prodicione docet;

Servandamq; fidem negat, argutusq; cavillis

Detorquet magni jussa severa Dei,

SOLI DEO GLORIA.

✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300



KD 18





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres
Farbkarte #13
B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



55

DE
NICIDIO
ivini Numinis
Loco
acultate Philosophica
sibi assignato
disputabit
MEISNERUS, Torg.
condente
CRÜGERO Lübec.
is horis matutin.
orio Majore.
* * * * *
EBERGÆ,
HÖHNERI, Acad. Typogr.
MDC. XLII.

